



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 16. An & qualiter subarrhatio annuli sit signum interni consensus sponsalitiu seu sponsalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

cujus earum bono maxime consulunt, & specialis majorque reverentia filiorum erga parentes, à quibus, quòd vivant, acceperunt. Quæ ratio in fratre erga sororem, multòque minùs in curatore & tutore locum non habet.

*Quæst. 16. An & qualiter subarrhatio annuli sit signum interni consensûs sponsalitiî seu sponsalium.*

**R**esp. Tam et si ex se immissio annuli in digitum alterius ejusdemque acceptatio (quam subarrhationem vocant) ex se non sit tale signum, ut patet, dum ex alia causa. V. G. in signum amoris honesti vel inhonesti fieri possit absque ulla sponsalium intentione, spectata tamen consuetudine, ubi porrectio & acceptatio annuli sponsalia significant, ea exinde contracta in foro externo censentur. Idem est, dum id ex circumstantiis accedentibus colligitur, V. G. si, dum de sponsalibus agitur aut actum est à Titio vel inter utriusque partis amicos utraque parte conscia, porrigatur vel mittatur annulus isque acceptetur; ita cum communi. Abb. in c. fin. de spons. impub. num. 7. & 8. Mascard. de prob. concl. 1024. à n. 2. Menoch. de præsump. l. 3. præsump. 2. num. 1. & 4. Sanch. l. 1. de mar. d. 22. num. 1. & 3. Castrop. loc. cit. num. 10. Idem erit, seu censentur contracta sponsalia, si annulus mittatur puellæ hunc in finem à patre ex consensu & nomine filii. Quod dictum de subarrhatione, idem dicendum de submissione & acceptatione aliorum munerum seu, ut vocant, jocalium; nimirum quòd per se non sint signum promissionis sponsalitiæ, sed tunc demum, quando præcedunt vel comitantur aliqua verba, actiones aut circumstantiæ, quæ ex usu vel consuetudine loci hanc promissionem denotant. Covar. de spons. p. 1. c. 4. Menoch. Mascard. l. cit. fusè de his agentes.

*Quæst. 17. An inter facta, per quæ promissio futuri matrimonii rectè inferatur, aut etiam sponsalia constituuntur, sit matrimonium inter impuberes, aut inter puberem & impubere nulliter celebratum.*

**1. R**esp. Matrimonium tale infert & inducit sponsalia, sive habet vim sponsalium. Sanch. l. 1. d. 21. num. 2. Pont. l. 12. c. 5. n. 4. Castrop. cit. p. 4. num. 3. cum communissima contra Engels. ad tit. de despons. impub. n. 10. & quosdam alios; juxta quòd expressè deciditur c. fin. de despons. impub. & c. unico eod. in b. nam licet tales contrahentes, etiam seclusa omni alia lege, expressè solùm velint alteri tradere suum corpus ad usum matrimonii, virtualiter tamen intendant, si ex aliquo capite ea traditio effectum non habeat, tradere saltem jus ad traditionem; cum hæc juris traditio in matrimonii contractu imbibatur. Unde meritò præsumit Ecclesiâ, sic contrahentes velle sponsalia contrahere, casu, quo matrimonium contrahere non possint. Quam voluntatem contrahendi sponsalia, aliàs verè & in rigore inclusam in illa voluntate contrahendi matrimonium, & inde ortam dictam præsumptionem ut elidant, & à sponsalibus deobligentur, tam in foro conscientiæ, quam externo, debent habere voluntatem expressam, eamque declarare, se tantùm velle matrimonium, & non sponsalia. Neque opponas juxta doctrinam communem Bar. R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. IV.

tol. in l. 1. si quis ita. ff. de P. S. n. 5. dum de obligatione contrahenda agitur, si actus non valeat eo modo, quo fit, nullatenus quoque eo modo, quo fieri potest, valeat; cum actus agentium ultra eorum intentionem operari non debeant; l. non omnis. ff. si certum petatur, & in obligationibus sit semper faciendâ strictâ interpretatio. Ad eòque jam, si contractus impuberum, quo matrimonium contrahere volebant, non valet in ratione matrimonii, non valebit quoque in ratione sponsalium, quæ contrahere poterant. Nam vera est hæc doctrina de obligatione, quæ contrahi poterat, si nullo modo contineatur in obligatione attentata tantùm, seu nulliter contracta; non verò vera est, si hæc in illa contineatur, quemadmodum sub ista obligatione matrimonii attentata comprehenditur obligatio sponsalium; Castrop. num. 5. ubi quoque alia ratione doctrinam illam Bartoli distingui posse ait, nimirum, ut, dum actu sub eo modo, quo gestus, non valet ex defectu formæ, non valeat etiam sub eo modo, quo geci potuit. Secus, si non valet sub eo modo ex defectu non formæ, sed tantùm causæ, quemadmodum contractus matrimonialis inter impuberes non fuit invalidus ratione formæ, sed ratione causæ, seu ratione contrahentium, non habentium legitimam ætatem ad contrahendum matrimonium.

**2. R**esp. De cætero procedit responsio, tamen si matrimonium illud inter impuberes ab iis contractum clandestinè. Eò quòd Trid. sess. 24. c. 1. de reformat. irritando seu vim omnem auferendo à matrimoniis clandestinè celebratis, quæ de cætero olim erant vera & valida matrimonia, nullatenus à matrimoniis clam celebratis inter impuberes, quæ nunquam rationem veri matrimonii habuerunt, sustulerit vim sponsalium; sed illum contractum reliquit naturæ suæ, vi cujus, ut dictum, includit intentionem saltem sponsalium. Sanch. l. 1. d. 21. n. 5. Castrop. l. c. n. 4. Nav. c. 22. n. 57.

*Quæst. 18. An matrimonium clandestinè, & hinc invalidè contractum inter puberes contineat rationem sponsalium.*

**1. R**esp. Primò: Quantùm ad rigorem jurisattinet, pari modo ob paritatem rationis loquendum de tali matrimonio clandestino puberum ac de matrimonio contracto inter impuberes tanquam probabilius censet Castrop. num. 8. citatis pro hoc Henriq. l. 11. de mar. c. 5. n. 4. Cöninck. d. 24. du. 4. n. 47. Laym. l. 5. tr. 10. c. 1. in fine. & pluribus aliis; eò quòd, ut dictum q. præced. consentiens in matrimonium præsens, eo ipso consentit in matrimonium futurum, dum matrimonium præsens contrahi nequit, & Trident. irritando consensum illum clandestinum præstitum in matrimonium præsens in ratione matrimonii, non irritavit eundem, quatenus ex natura rei se ipso est consensus in matrimonium futurum, seu quatenus constituit sponsalia; cum hæc et si clandestinè contracta valeant.

**2. S**ecundò: Spectando tamen praxin & consuetudinem receptam veriorem esse sententiam oppositam, ait Castrop. l. c. & sic absolute docetur communiter à Sanch. l. 1. de spons. d. 20. n. 3. & 4. Gutt. de mar. c. 11. & de juram. confirm. c. 51. à n. 28. Cevall. comm. contra comm. 9. 604. n. 79. Trid. enim inhibendo annullandoque omnino talem contractum clandestinum matrimonii etiam ab eo separat rationem sponsalium. Quod